

quod Imperator in ista lege de illo solum libello famoso locutus sit, in quo quis alterius famam ita infectatus est, ut ei objecerit crimen mortis pœna dignum. Petr. Heig. *part. 2. Quest. 31. n. 45. pag. 268.* Matth. Berlich. *part. 5. concl. 67. num. 9. fol. 171.* licet Jul. Clar. *l. 5. sent. Qu. 68. n. 25. fol. 778.* dicat: se non vidisse hoc in praxi servari, ut aliquis propter libellum famosum ultimò supplicio afficeretur, sed semper imposita fuerit pœna extraordinaria. Et hoc est, quod sanxit Imperator in hoc articulo, nimirum: Autorem libelli famosi, in quo alteri objecit crimen pœnâ mortis dignum, pœnâ talionis puniendum esse. Inde talis habetur regula: *Autor libelli famosi seu Pasquilli ad ejusmodi seu similem obligatur pœnam, quam importat delictum, quod alteri in pasquillo est imputatum.* (2) Quod si verò crimen, quod pœnam mortis non promeretur, alteri in libello famoso objiciatur, tum etiam ultimum supplicium locum non habebit, sed pro qualitate injuriæ conveniens quoque pœna irroganda venit delinquenti. Interea, qui ob libellum famosum damnantur, fiunt infames & intestabiles, *l. 21. pr. ff. de Testib. l. 5. §. 9. ff. de injur.* Dicitur autem *intestabilis*, qui nec testamentum condere, nec alteri testimonium præbere potest in testamento. *l. 18. §. 1. l. 26. ff. de Testam.* Pulchrè Marquard. Erherus *l. 3. c. 9. n. 25. p. 383. de Existimat.* Petr. à Placha *l. 1. c. 3. n. 3. p. 70. Epitom. Delict.* Vide Dauth, *de Testam. fol. 186.* Verum quoniam accuratè circa hoc delictum distingvere oportet, antequam de certo pœnarum genere aliquid certi queat constitui, ideò, ut in hac ardua, & quotidie ferè occurrente materia, quantum fieri poterit, juxta circumstantias pœna commensuretur delicto, oportet illas probè considerare, antequam justa & legibus actisque conformis pœna dicatur.

(1.) Illud certum est, ultimò supplicio eum posse affici, qui alteri imputat tale crimen, quod pœna mortis sit dignum. Et licet Julius Clarus loco ante citato in praxi id observari neget, ut pœna capitalis ob pasquillum diffamanti irrogetur; tamen meminit Daniel Moller, *ad part. 4. Const. Elect. 44. fol. 642. n. 6.* aliquem fuisse ob famosum libellum gladio punitum: & alicui, qui alteri delictum sodomix per pasquillum objecisset, pœnam ignis fuisse dictatam. Et refert Berlich, *part. 5. concl. 67. n. 21. f. 173.* nobilem quendam, quod alteri cuidam nobili crimen capitale in libello famoso cum suppressione sui nominis objecisset, fuisset decollatum.

(2.) Hanc pœnam quidam extendunt quoque erga eum, qui consuluit, vel etiam mandavit, ut ejusmodi Pasquillus conficeretur *per l. 5. §. 9. ff. de injur.* Farin. *part. 3. q. 105. n. 442. fol. 497.* qui libellum famosum sciens

& VO-